

cuntur, et quarum triplex est genus: *excommunicatio*, *suspensio*, *interdictum*. Omnibus his pœnis Ecclesia non criminosi interitum quærit, neque illatas Reipublicæ injurias ulciscitur, quo pœnæ civilis Potestatis intendunt. Tantum illa curat, ut reus criminis emendetur, et ceteri exemplo pœnæ sese à criminibus absteineant; ideo procul habet pœnam sanguinis (1): et in pœnis, quas infligit, modum quendam, et rationem adhibet, ut levioribus criminibus leviores, gravioribus autem graviores pœnas constituat. Ita excommunicatione, per quam aliquis à Christiana republica excluditur, non multat eum, qui propter levius crimen dignus quidem est, qui in exilium abeat, hoc est, qui ex una civitate, aut regione, non vero ex universa Christiana societate expellatur.

(1) Consule Joannis XXII. constitutionem adversus Marsilium Patavinum, et Joannem Jandunum, cujus supra facta mentio est.

(N. S. Censuris obstringi tantummodo possunt homines baptizati, viatores, rationis compotes, ac potestati eas infligentis subditi. Unde censuris plecti nequeunt 1. Pagani, Judæi, ac etiam Catechumeni, quum nondum per baptismum in Ecclesiam ingressi sint. *Quid enim*, inquit Apostolus 1 ad Corinth. V, v. 12, *mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* In hæreticos vero, Schismaticos, et Apostatas recte Ecclesia censuris animadvertit, ut ad fidem ac obedientiam, à qua turpissime defecerunt, redire inde incitentur.

Neque 2 Censuris directe adfici possunt mortui, quippe qui non sunt viatores. Unde Christus Dominus dixit: *Quæcumque adligaveritis super terram, et non sub terra; ostendens, quod nos de mortuis sententiam ferre non possumus*: Leo M. Epist. XC cap. 7. Potest tamen Ecclesia mortuum anathematizare, sive exsecrari, atque adeo etiam indirecte excommunicare, dum fidelibus interdicat illum Ecclesiastica donare sepultura, aut pro ipso preces, suffragia, aut sacrificia offerre; cujus disciplinæ frequentia occurrunt exempla in veteri Ecclesiastica Historia. Sic in Cod. Afric. Can. 81, adversus Episcopum, qui hæreticos, vel paganos hæredes suos constituere ausus fuerit, in hunc modum decernitur: *Post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur*. Et Syn. Brac. 1 cap. 16 alius can. 55: *Placuit, ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat.... Similiter et de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur*.

Neque 3 Mentecapti, Furiosi, Infantes Censuris illigari possunt; quum enim usu rationis careant, ipsis peccata non imputantur: unde nihil ipsis causæ est, cur censuris plectantur.)

5. Inter ecclesiasticas pœnas recensentur etiam depositio, et degradatio; sed nos hanc tractationem primo libro occupavimus. Ita que omnis nostra nunc erit de ecclesiasticis censuris disputatio.

TITULUS XVIII.

DE EXCOMMUNICATIONE.

1. CENSURA QUID?—2. DIVISIO CENSURARUM.—3. POTESTAS EXCOMMUNICANDI A CHRISTO ECCLESIE DATA.—4. EXCOMMUNICATIO MORTALIS, ET MEDICINALIS.—5. IN QUOS MEDICINALIS EXCOMMUNICATIO FEREBATUR?—6. IN QUOS EXCOMMUNICATIO MORTALIS?—7. MAJOR, MINORQUE EXCOMMUNICATIO, ET ANATHEMA.—8. EXCOMMUNICATIO LATA, VEL FERENDÆ SENTENTIÆ.—9. EFFECTUS EXCOMMUNICACIONIS MAJORIS.—10. EXCOMMUNICATUS VITANDUS.—11. AN HÆRETICI, SCHISMATICI, SIMILES VITANDI SINT?—12. SUMMUS PONTIFEX, ET EPISCOPI CENSURAS FERUNT.—13. IN QUOS FERATUR EXCOMMUNICATIO, ET QUOMODO EA AB OMNIBUS METUENDA SIT?—14. QUIBUS DE CAUSIS IRROGETUR?—15. PRÆMITTENDÆ MORTIONES.—16. EXCOMMUNICATUS A SUO EPISCOPO UBIQUE EXCOMMUNICATUS HABENDUS EST.

SPIRITUALES pœnas proprio nomine *censuras* appellari diximus. Censura apud Romanos erat nota censoria, per quam aliquis gradu, vel dignitate movebatur. Nam quem Censores in censu, sive descriptione Senatorum, Equitum, Civium præterissent, is infamia notatus habebatur, ac si Senator esset, à Senatu ejiciebatur, si Eques, publicum equum amittebat, denique si Plebejus, in Cæritum tabulas referebatur. Idem hoc nomen suis quoque pœnis, quæ aliquem vel ex Christiana republica expellunt, vel communionem precum, et Eucharistiæ, vel dignitate privant, Ecclesia accommodavit.

2. Dividuntur censuræ in excommunicationem, suspensionem, interdictum. Cunctis gravior est *excommunicatio*, quæ ipsa vi nominis eadem est, ac ejectio de corpore Ecclesiæ, vel participatione sacramentorum, atque in antiquis monumentis *segregatio*, *abstensio*, *abjectio*, similibusque nominibus appellatur. Quod cujusque societatis jus est, id Ecclesiæ quoque jus esse debet, ut noxios homines ejiciat. Sane non solum Hebræi gravissimi criminis reos infamia notatos, è Synagoga, et communionem sacrarum ejiciebant, sed etiam ethnici hoc genus hominum Diris devovebant, sive exsecrabant, quod nos dicimus excommunicare, eosque sacrificiis interdicebant, et civium commercio privabant (1).

(1) Insigne est, quod de Druidis Galliæ sacerdotibus narrat Cæsar de *Bello Gallico*. l. 6 c. 15 p. 299 et 500 ed. Lugdun. Batav. 1757. « Si quis, inquit, privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicitur.

Hæc pœna apud eos est gravissima; quibus ita est interdictum, si numero infriorum, ac sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.

3. Præceptum autem interdicendi criminosis omnem communionem, et societatem, tam sacrarum, quam civilium rerum, nos ab ipso Christo, accepimus (1), et à Paulo (2), qui nos cum sceleratis communi mensa uti vetat, ac nullam vult esse societatem cum eo, qui Dei verbum non audit, ut pudore afficiatur, atque ita ad bonam frugem redeat. Quem deinde morem Ecclesia perpetuo retinuit; et certe ab Ecclesia execrati, non modo sacris interdicti, sed etiam ab omnium aditu, et sermone semper exclusi fuerunt (3).

(1) Matthæus, VIII, 17.

(2) Paulus I. ad Corinth. V, 11, et II. Thesalon. III, 14. Multi sunt ex hæreticis, et aliqui item, qui Catholicorum nomen præferunt, sed tamen cum illis revera sentiunt, qui jus excommunicandi, quod habet Ecclesia, tantum juri humano, non item juri Divino tribuendum putant. Cathari, et Albanenses, teste Præfeto de *Vitiis hæretic.* l. 1 tit. 22, negarunt, adesse institutam potestatem infligendi censuras, quos quidem refellit Moneta l. 5. Adv. Cathar. c. 5 § 6 p. 459 ed. Romæ 1745, et his Wicleffus, et Joannes Husius adhæserunt ex testimonio Concilii Constantiensis sess. 8^a err. 50, et sess. 15^a err. 19 t. 16. Concil. col. 121, 249 collect. Labbæi. Ex Wicleffo Lutherus sumpsisse videtur articulum suum 18, quo inquit, excommunicationes esse tantum pœnas externas, nec privare hominem bonis spiritualibus. Erasmus, colloq. inquisit. de Fid. hæreticorum more, petulanter excommunicationem irridet. Seldenus, de Sinedr. Hæbr. l. 1 c. 9, juris Divini esse negat in aliquem excommunicatione animadvertere; quem graviter ad hunc locum exagitat Calmetus; et aliud quoque sentiunt Hammondus, et Clericus in Comment. ad Matth. XVIII, 17 et 18; licet hæretici, qui jus ferendi censuras referunt ad clavium potestatem, quæ Apostolis, eorumque successoribus data est. Plassius etiam, similiter hæreticus, Seldeno adversatur Orig. jur. eccl. art. 2 p. 66 ed. Tubingæ 1756, ac jus ferendi excommunicationem contineri statuit eo Pauli præcepto I. ad Corint. V, 13: *auferite malum de medio vestri*; licet deinde potestatem illam ad jus extraordinarium, vel solum collegiale referendum putet. Bohemerus jus eccles. inst. l. 5 tit. 59 § 6 et seq. jus excommunicandi non à Christo repetit, sed ortum putat ex mutuo fœdere, atque ex conjunctione Ecclesiarum, ut scilicet collegii status integer servaretur. Id vero consentaneum est paradoxo, quod ipse tuetur, de Ecclesie collegio; atque hinc §. 17 cum Basnagio Diss. de Excom. Christian. §. 15 in t. 2 annal. putat, per excommunicationem tantum adimi externam communionem. Petrus Giannonius histor. l. 1 c. ult. n. 6 existimat, ad similitudinem censuræ Romanorum, apud Christianos excommunicationem humano jure inductam fuisse. Auctor libelli •La Chiesa e la Repubblica dentro i loro confini,• satis indicat, sese ab humano jure ortam excommunicationem credere. Canonicus Litta in libro •Del Diritto d' imporre gl' impedimenti, e di dispensarne,• ad jus, et sistemam societatis, humanamque institutionem Chris-

tianorum, excommunicationem commode referri posse arbitratur. Huc etiam spectant ceteri, qui omnem Ecclesie adimunt potestatem, per quam ipsa repugnantes ad parendum cogat. Sed jus infligendi censuras à Christo Ecclesie datum, tam certum, tamque exploratum est, ut illud in discerni potestatem insignis impudentiæ sit. Nam, ut mittam ligandi, et solvendi potestatem, qua certe etiam excommunicatio comprehenditur, ejusdem excommunicationis pœna diserte, et perspicue designatur iis verbis, quibus Christus *tamquam ethnicum, et publicanum* haberi voluit eum, qui Ecclesiam non audiret. Quibus quidem verbis excommunicationem intelligi, non solum omnes Patres, atque Interpretes sentiunt, sed etiam patet ex more Hebræorum, qui ab externæ gentis, ac religionis hominum consortio sese penitus abstinabant ex divino præcepto in Exod. 54, 42, 45, 16, quod tam diligenter observabant, ut ceteras nationes execerarentur, sicuti præ ceteris observavit Tacitus histor. l. 5 n. 5 opp. t. 5 p. 797 ed. Ven. 1708. Nec minus Hebræi odio habebant eos, qui cum essent Judaicæ nationis, publica vectigalia redimebant, sive quod lueri faciendi studio fratres usuris vexarent, sive quod externis gentibus tributa libero populo imponentibus obsequerentur; quod utrumque contra Divinæ legis præceptum erat. Atque hanc quidem à Christo acceptam potestatem non semel et verbis, et facto ostendit Paulus, cujus in primis celebris est pœna ab eo constituta in Corinthium civem, quem sacerorum communionem prohibuit, et Satanæ etiam tradidit, ut pœnæ morore confectus resipisceret. Quam gravis autem hæc pœna habita fuerit, ostendit moror, quo non tantum ipse Corinthius, in quem illa fuerat constituta, sed etiam ceteri affecti sunt, uti patet ex II. ad Corint. II, 10 seq. Atque omnes quidem Patres potestatem ferendi censuras, quam habet Ecclesia, à Christo repetunt. Ne longus sim, indicabo Cyprianum Ep. 55 ad Antonian., et Ep. 59 ad Cornelium p. 246 et 261 ed. Amstelæd. 1700, Tertullianum Apolog. c. 59 p. 51 ed. Paris. 1675, Jo. Chrysostomum hom. 4 in Ep. ad Hebr. opp. t. 12 p. 49 ed. Paris. an. 1735, cujus hæc verba sunt: *Nemo contemnat vincula ecclesiastica, non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit*; Hieronymum in Matth. c. 18 n. 18 opp. t. 7 col. 141 ed. Vallarsii Veronæ, Augustinum Ep. 250 ad Auxilium opp. t. 2 col. 373 ed. Ven. 1729, Gregorium Nyssenum in *Orat. advers. eos qui ægre ferunt reprehens.* opp. t. 2 p. 746 ed. Paris. 1615. Quanti autem Christiani omnes semper excommunicationem fecerint, ostendunt Eusebius *Histor.* l. 6 c. 34 p. 298 ed. Cantabrig., Basilus Ep. 61 ad S. Athanasium p. 156 opp. t. 5 ed. Paris. 1750, Ambrosius Ep. 15 ad Theodosium Imp. n. 5 seq. opp. t. 6 p. 11 ed. Ven. 1781, Jo. Chrysostomus *Orat. in S. Babylam contra Julianum et contra Gentiles* n. 6 opp. t. 2 p. 545 ed. Paris. 1748, Paulinus in *Vit. S. Ambrosii* n. 24 opp. Ambros. l. 7 p. 7, Synesius Ep. 53 p. 201, et Ep. 67 p. 208 seq. ed. Paris. 1640, Gelasius P. Ep. 7 ad Episc. Dardan. t. 5 Cone. col. 529 collect. Labbæi, Theodoretus *histor. ecclesiast.* l. 5 c. 18 p. 216 ed. Cantabrig. 1720., Concilium Valentinum an. 584 t. 6 Concil. col. 669 collect. cit., Concilium Toletanum III, an. 589 can. 25 t. 6 col. 702, Concilium Toletanum XII, an. 681 c. 4 t. 7 col. 1436., Concilium Toletanum XIII, an. 685 can. 9 t. 7 col. 1474., Acta Cleri Gallicani t. 12 p. 40 ed. Paris. an. 1740 et p. 569 seq. Ceterum nomen ipsum *censuræ*, cujus species est *excommunicatio*, à Romanis arreptum haberi potest, non item res ipsa, ut recte observat Bianchius in Giannonium t. 3 l. 4 c. 5 §. 2 p. 455. eum longe dissimilis sit vis, ac ratio Christianæ censuræ, et censuræ Romanorum. Omnis sane Respublica jus habet expellendi fontes è societate sua; sed Ecclesie eadem est potestas, non tantum quia jus habet veræ, et perfectæ Reipublicæ, sed etiam quia

illam à Christo potestatem accepit. Si Ecclesia tantum esset Respublica, ejus censura vim eandem haberet, quam habent censurae ceterarum Rerumpublicarum. Sed quoniam ei sunt jura Reipublicae, et est etiam spiritualis potestas à Christo data, consequens est, ut in ejus censura non tantum vis insit, quae Reipublicae propria est, sed etiam potestas spiritualis, quae animum afficiat. Consule, praeter Interpretes ad c. 18. Matthaei, et I. ad Corinth. c. 5. Suarezium de Censur. disp. 4 sect. 1. Theophilum Rainaudum de Monit. eccles. par. 2 c. 15 n. 6 seq. opp. t. 14 p. 490 ed. Lugd. 1665; Gregorium de Valentia Theol. t. 4 disp. 7 qu. 17 punct. 1. Coletum Th. mor. tr. de cens. qu. 1. Michaellem Amatam Pougetum Inst. Cathol. de Saer. Pœnit. c. 9 de cas. reser. et censur. Les conférences de Luçon, t. 7 conf. 20 qu. 1 p. 541 et seq. Bianchium l. c., Mamachium ad auctorem op. *Quid est Papa?* Ep. 4 n. 2 t. 2 p. 7 et seq., et Zaccariam tum in libro *Le storte idee raddrizzate* c. ult., tum Diss. 5 *Della forza obligatoria della disciplina* n. 25.

(3) Cum iis, qui ab Ecclesia execrati sunt, hoc est mortali, aut majori excommunicationi subjecti, civile quoque commercium semper interdictum fuisse constat; et id quidem sumptum videtur ex iis Pauli verbis I. ad Corinth. V. 4 «Nunc scripsi vobis, ne commisceamini. Si quis, cum frater nominatur, sit scortator aut alieni avidus, aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi, inquam, ne edatis quidem.» Et iterum ad Roman. 16, 17: «Precor, vos fratres, ut observetis dissidorum, et offendiculorum auctores, contra doctrinam, quam vos didicistis; et declinetis ab eis.» Et 2 ad Thessalonic. III. 14: «Si quis non auscultat nostro per epistolam sermone, hunc notate, et ne commercium habeat cum eo, ut erubescat.» Itemque ex illis Joannis, II, 10, 11. «Si quis venit ad nos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis.» Secundum has regulas multis Ecclesiae legibus sancitum est, ut Christiani omnem aditum, sermonemque defugiant eorum, qui mortali excommunicatione tenentur, ne quid ex contagione incommodi accipiant. Canon 8. Apostolorum apud Coterium PP. Apostolic. t. 1 p. 445 ed. Amstelæd. vetat, ne quis etiam in domo privata cum excommunicato preces fundat. Concilium Toletanum I. can. 7, 15, 16, 18 l. 2 concil. col. 1472 et seq. collect. Labbæi, nec cibum, aut potum sumi, neque ullam prorsus societatem cum excommunicato haberi permittit. Eadem sententia est Concilii Carthaginensis IV. can. 73 t. 2 col. 4445 collect. Labbæi, Arelatensis II. can. 8 t. 5 col. 3 ib., Concilii Venetici can. 3 id. col. 8, Ilerdensis can. 4 t. 5 col. 752, Turonensis I. can. 8 ib. col. 76, Aurelianensis I. can. 5 ib. col. 544. Idem quoque docent antiqui Patres, atque Scriptores, quos ne omnes percenseam, contentus ero testimoniis S. Irenæi contr. hæres. l. 3 c. 3 opp. t. 1 p. 175 ed. Ven. 1754, S. Epiphaniï Hæres. 50 Ebionit. opp. t. 1 p. 148 ed. Colon. 1682, S. Basilii Ep. 61 ad Athanas. opp. t. 3 p. 156 ed. Paris. 1750, S. Leonis M. Ep. 52 ad Faustum etc. opp. n. 1 col. 359 ed. Ballerin. Ven. 1755, S. Innocentii Ep. ad Carthag. *Concilii Patres inter epistolas Augustini* Ep. 181 opp. August. t. 2 col. 658 ed. Ven. 1720, S. Ambrosii Ep. 40 ad Theod. opp. t. 6 p. 154 ed. Ven. 1781, S. Augustini contr. Ep. Parmenian. l. 5 n. 13 col. 64 opp. t. 9 ed. cit., S. Hilarii in Fragm. 2 oper. histor. n. 8 col. 628 t. 2 ed. Veronæ 1750, Eusebii Histor. l. 3 c. 28 p. 125 ed. Cantabrig., Synesii Ep. 58 p. 201 ed. Paris. 1655.

(N. S. Ille semper in Ecclesia, ex Christi præscripto (Matthæi V, v. 25) servatus Canon est, ut fratres dissidentes, pauperum oppressores, alique hujus furfuris homines, munera altari offerre vetarentur: Auctor Const. lib. 4 cap. 6, Concil. Carthag. IV can. 95 et 94; Catholici, qui filios suos hereti-

eis baptizandos tradiderint: Concil. Ilerd. can. 15; et in universum omnes non communicantes: Illiberit. can. 28.

In fideles, qui enorme aliquid scelus perpetrassent, ea excommunicationis pœna animadvertēbat; qua ab omni prorsus communione alieni habebantur: qua de re eosdem omnes abhorrebant, nemo convivio, alloquio, atque adeo etiam ad spectum dignos judicabat: Concilium Toletanum I can. 15, Conc. Aurelian. I. can. 15 et Tolet. II can. 5.

Potamius Bracaraensis Episcopus, sponte se ob lapsum carnis à communione sejunxit, et pœnitentiæ se addixit: Videsis Conc. Tolet. X *Deer. pro Potam.*

4. Vetus Ecclesiae disciplina duplicem habuit excommunicationem: mortalem, et medicinalem (1). Hæc pro levioribus criminibus, et in eos infligebatur, qui peccata sua agnoscebant, et pœnitentiæ, pacemque postulabant. Hujusmodi excommunicatio *separatio* dicebatur, eaque duos gradus habebat. Alii enim à sola Eucharistiæ participatione, et alii etiam à fidelium precibus excludebantur, ac tantum cum catechumenis preces fundere debebant (2). Horum neuter arcebat ab Ecclesia; quæ gravior erat majori excommunicationi affixa pœna.

(1) Mortalem, et medicinalem excommunicationem apposite distinguit Augustinus Serm. 551 de Pœnit. opp. t. 5 part. 2 col. 1559 ed. cit. his verbis: «Nos vero à communione prohibere quemquam non possumus (quamvis hæc prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis) sed nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum.... Cujusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in eadem ad Corinthios epistola insinuasse intelligitur, cum quibusdam talibus commemoratis criminibus, ecclesiastici judicii formam ad omnia similia ex quibusdam darat. Ait enim: *scripsi vobis in epistola, non commisceri fornicariis* etc. Quibus verbis satis ostendit, non temere, aut quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiae communione; ut si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne perverse malos quisque evitando, ab Ecclesia ipse discedens eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.» Locus hic Augustini duo in primis ostendit evidenter; alterum est, quod externum forum haberet Ecclesia, alterum autem, quod minor excommunicatio non solum in foro pœnitentiæ, sed etiam in foro externo infligeretur. Nam inquit Augustinus, tum *mortalem*, tum *medicinalem* excommunicationem non esse irrogandam, nisi adversus sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum. Quotusquisque ad forum pœnitentiæ referendam putet pœnam infligendam adversus eum, qui in sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatus atque convictus sit? Magnus est etiam error illorum, qui medicinalem excommunicationem cum publica pœnitentiâ confundunt, quasi nullum inter unam, atque alteram discrimen intercedat. Omnis quidem publica pœnitentiâ erat medicinalis excommunicatio, quoniam utraque in pœnæ genere conveniebat; sed non omnis medicinalis excommunicatio erat publica pœnitentiâ, aut eam necessario secum ferebat. Patet id ex Concilio Eliberitano can. 14, cuius hæc verba sunt: «Virgines, quæ virginitatem suam non custodierint, si

eosdem, qui eas violaverint, duxerint, et tenuerint, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine penitentia reconciliari debent. » Hæc mulieres medicinali excommunicatione tenebantur, ideoque Eucharistiæ participes esse non poterant; et tamen nullam publicam penitentiam agere debebant, ut recte illum canonem interpretatur Albaspinensis p. 165 ed. Neap. 1770, sed *post annum sine penitentia reconciliari* debebant.

(2) Theodoretus, Ep. 77 ad Eulaliū opp. t. 5 p. 947 ed. Paris. 1642, « Arcantur, inquit, à participatione sacrorum mysteriorum, à catechumenorum autem oratione non prohibeantur, neque Divinarum Scripturarum auditione, neque magistrorum auditione. » Eodem spectant Gregorius Thaumaturgus Ep. canon. can. 5 et 8 p. 40 ed. Paris. 1624, Basilius Ep. canon. 1 ad Amphioch. can. 4 opp. t. 5 p. 271 et 272 ed. Paris. 1750, Concilium Herdense can. 4 concil. t. 5 col. 752 collect. Labhæi, et Eliberitanam can. 21 t. 1 col. 994, ex quibus vis, et ratio medicinalis excommunicationis intelligitur.

5. Erat etiam medicinalis, aut minoris excommunicationis loco, illa unius Episcopi, aut Ecclesiæ ab alio Episcopo, Ecclesiæque separatio, per quam fiebat, ut duo Episcopi inter se neque darent, neque acciperent literas formatas, neque alter alterius ab se separatæ Ecclesiæ filios ad communionem admitteret. Hujusmodi excommunicatio locum habebat, si aliqua Ecclesia, aut Episcopus aliam Ecclesiam in fidem, aut in disciplinam peccare intelligeret (1). Sed mutua hæc excommunicatio, si Ecclesiæ sibi invicem subjectæ non essent, proprie ecclesiastica censura non erat; sed tantum erat divisio, et separatio communionis, quam una Ecclesia, alteri, cui non subesset, denegare poterat

(1) Ita S. Epiphanius, uti patet ex ejus Ep. ad Joan. Episc. Hierosol. opp. t. 2 p. 512 ed. Colon. 1632, Joan. Episcopi Hierosolymitani communionem rejecit, quod eum Origenis errores defendere intellexerat.

6. Mortalis excommunicatio ferebatur in reos graviorum criminum, atque in illos, qui sui sceleris penitentiam agere detrectabant. Hæc in antiquis canonibus *omnimoda separatio*, et *anathema*, nimirum *execratio* appellatur, quod esset maxima execratio, quæ adversus homines componi poterat. Qui ita erant execrati, ab Ecclesia penitus ejiciebantur, ac non solum ab Eucharistia, sed etiam à fidelium precibus, atque ab audiendis Scripturis in ecclesiastico conventu excluderentur (1).

(1) Formulam hujus excommunicationis describit Synesius Ep. 58 p. 201 ed. Paris. 1655. Unde intelligimus, quod cum in aliquem lata erat mortalis excommunicatio, vicinæ Ecclesiæ, et interdum etiam omnes per totum orbem Ecclesiæ, ejus rei certiores fiebant per literas, ut omnes id ratum habe-

rent, et excommunicatum ab omni communione repellerent, et execratum haberent, omnique aditu, et sermone prohiberent. Quæ omnia, pluribus ex antiquitate collectis monumentis, fuse describit Binghamus Orig. eccles. l. 4 c. 2 §. 8 et seq. t. 7 p. 84 et seq. ed. Halæ Magdeburg. 1761.

7. Nunc excommunicatio alia major, alia minor appellatur. Minor excommunicatio est, per quam aliquis à suscipiendis sacramentis, obtinendisque beneficiis arcetur, eamque contrahit, qui cum homine majori excommunicationi subjecto extra crimen communicat; nam qui criminis particeps est, et ipse majori excommunicatione implicatur (1). Major excommunicatio est, quæ hominem prorsus ejicit ab Ecclesia, atque à societate, et communione Christianorum. Hæc excommunicatio proprio nomine *anathema* appellatur (2), cum in ea ferenda publicæ, ac solennes cæremoniæ adhibentur, quæ penam augment, non vi separationis, sed horrore solemnitate, qua illa constituitur (3).

(1) Cap. 29 et 55 de Sentent. excomm.

(2) Anathema ab excommunicatione differt propter solemnitates, et cæremonias, quæ in eo ferendo adhibentur, quæque describuntur in can. 106 c. 11 qu. 5; reipsa utrumque unum, et idem est. Hinc olim excommunicationis, et anathematis vocabulum promiscue accipiebatur. Sed recentiori ætate anathema ab excommunicatione distingui cœpit. Gratianus, can. 12 c. 5 qu. 4. refert Engeltrudam, uxorem Bosonis, *non solum excommunicatione, sed etiam anathemate crebro percussam* fuisse. Similiter anathema ab excommunicatione distinguitur in can. 41 c. 11 qu. 5, à Concilio Turonensi II. can. 24 apud Labbæum t. 6 concil. col. 546 ed. Ven., et ab Adriano II. Ep. 15 apud eundem t. 10 col. 419. Pontificale Romanum par. 5 tit. 17 §. Ep. 168 ed. Catalani Romæ 1740, respectu habito ad solemnitates, quæ anathema, et excommunicationem discriminant, tres excommunicationes numerat: minorem, majorem, et anathema. Illud hoc loco animadvertendum videtur, quod excommunicatio etiam inter pœnas monachorum recensetur in Regula S. Benedicti c. 25 et seq. apud Hosltenium cod. Regul. t. 4 p. 124 ed. August. Vindelic. 1759, in Regula S. Isidori c. 46 et 47 p. 195, in Regula Magistri c. 19, 25, 30 p. 251, 254, 278. Erat autem hæc excommunicatio interdum à mensa, interdum ab oratorio: illa pro levioribus, hæc pro gravioribus, culpis infligebatur. Confer Regulam S. Benedicti l. cit. c. 24, 25, 44 p. 124, et 128. A mensa excommunicatum, *sequestratum à mensa* appellat Regula Magistri l. cit. c. 25 p. 254; nam qui hoc pœnæ genere tenebatur, cum reliquis Monachis ad mensam ire non poterat, uti excommunicatus ab oratorio repellebatur, in quo ceteri Monachi preces fundebant.

(3) In antiquis canonibus, atque in omnium damnatione hereticorum sæpe frequens est anathematis nomen. Concilium Gangrense singulos canones suos concludit his verbis *anathema sit*; hoc est ab omni Ecclesiæ communione sejunctus, et ab omnibus execratus habeatur, qui Concilii legibus non obtemperaverit. Iisdem pleraque Concilia verbis utuntur; id autem sumptum videtur ex ea Pauli formula ad Galat. I. 8. *etiamsi nos, aut Angelus è caelo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema sit*. Verum ipse Apostolus I. ad Corint. XVI, 22, vocabulo *Anathema*, addit et